Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent. ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. & Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia Lipsiensi, Commentarius In Librum ...

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput Sextum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

Visual Library

oleum, cereos accensos, cruces depictas, suffitum & alias ceremonias, qvibus nulla inste sanctificandi efficacitas.

LOCUS POLITICUS.

In Josua proponitur nobis exemplum *boni Ducis militaris*, cujus virtutes sunt 1. *fortitudo*, ut intrepidos accedat eos, de qvorum fide dubitat, an à nostra vel hostium parte faciant. 2. *Providentia* sive alacritas, ut fidelis sit inspectu sui exercitus, ne proditores vel publici hostes se nomine amicorum vendi-tent. 3. *Pietas*, ut Christum habeat secum exercitus sui principem & ejus mandatis morem gerat. Hoc enim duce bella secunda geruntur ac prospere succedunt. Hæc de capite qvinto.

CAPUT SEXTUM.

Argumentum & Divisio.

HActenus descripsit Josua adventum populi ad terram Canaan, & qvæ in ipso ingressu peragi voluit DEus. Ubi ipse post circumcisionis & agni Paschalis administrationem in forma bellici Ducis apparuit, ut Josuam ad instantem expugnationem animosum redderet. Nunc verò in *sexto capite* enarratur *prima expeditio, qva Hiericho non corporea vi sed tubarum sono eversa & deleta est.*

Di-

Divisio.

Partes habet hoc caput *tres*: 1. *DEI mandatum* de modo expugnandi urbem, usq; ad v. 9. 2. *Mandati hujus executionem* usq; ad versum 21. 3. *Effectum* sive ipsam expugnationem & qvæ eam consecuta sunt.

Mandatum DEI qvod attinet, notetur 1. ejus *occasio*, qvæ est exqvisita urbis munitio, qvam DEus solo tubarum sono mirabiliter confundere voluit. v. 1.

2. *Mandati ratio* sumitur *à spe commodi*: qvia DEus promittit Israëlitis certissimam tam urbis qvam regis, omniumq; bellatorum deditionem. v. 2. & 5.

3. Postea *instituitur* μερισμὸς, dum exponitur, qvid faciendum sit 1. *cunctis bellatoribus* v. 3. 2. *qvid 7. sacerdotibus*. v. 4. 3. *qvid omni populo*, v. 5.

v. 1. *Hiericho autem clausa erat.)*

Hoc versu finitur in Hebræa distinctione caput qvintum. Hebraicè dicitur Hiericho, סֹגֶרֶת וּמְסֻגֶּרֶת priorem vocem, alii vertunt *passive*, ut & posteriorem *clausa erat & conclusa*, qvæ ἀναδίπλωσις significat, urbem fuisse probe munitam & firmatam. Alii, ex qvorum numero est *Pagninus*, vertunt *active* claudens erat & conclusa. Qvorum illud opponitur egressui, hoc verò ingressui, ut sit sensus: Hierichunticos urbem ita munivisse, ne cui egressus inde pateret. Contra Josuam ita eandem obsedisse & exercitu suo conclusisse, ne qvis exercitus ferendarum suppetiarum causa à vicinis Cananæis intromitti posset.

v. 2. *Dixitq; Dominus ad Josue)*

Hebraicè: *dixit Jehova*, Virum, qvem in superiori capite

pite *Josuæ* אדני sive *Dominũ* suum appellaverat, qvem appellat JEHOVAM. Unde iterum certissime constat, apparitionem illam non angelici cujusdam spiritus, sed ipsius DEI repræsentationem fuisse.

v. 4. *Buccinas, qvarum usus est in Jubilæo.*) de *Jubilæo sive anno remissionis* vide Levit. XXV, 10. De *buccinis* sive tubis lege Num. X, 2. &c. Habet autem Jubilæus annus nomen à יבל i. e. à producendo tubarum clangore, qvo illa solennitas anni celebrabatur: Unde Latinum jubilo. In textu dicuntur istæ buccinæ שופרות היובלים *i. e. tubæ clangorum.* *Pagninus* vertit *tubas arietum:* sed reprehenditur cum sui similibus *à Förstero.* Notat enim hîc, qvod vox יובל nunqvam pro instrumento clangendi accipiatur, sed pro ejus effectu sive clangore: tamen *Chaldaicus interpres* vertit: *buccinas ex cornu* דכרין *i. e. arietino.* Ubi fortè non respicit materiam tubarum, qvas Moses ex argento fuderat, sed formam sive curvitatem.

Vox tubæ longior atqve concisior.) Hebraicè: *in protrahendo cornu Jobelorum sive clangorum:* Usitatus erat ex mandato DEI *duplex apud Judæos modus clangendi.* Uno modo edebatur tubarum inflatu sonus simplex, brevis & uniformis: atq; ita convocabantur consilia principum & primatum populi Num. X, 4. Alter sonus erat prolixior & concisior i. e. acutior & fortior, gravior & depressior: lege ibidem Num. X, 5. Sic excitabatur populus ad movenda castra, Exod. XIX, 13. Illum modum DEus

us vult in hac obsidione observari prioribus sex diebus: alterum verò die septimo, ut populus vociferandi signum expressius haberet.

v. 5. *Ingredientur singuli per locum* &c.) Non vult DEus, ut omnes per unum locum in urbem irruant, ne scil. ex civibus aliqvis elabi posset.

v. 6. *Vocavit ergo Josue filios*) Hæc est *secunda pars capitis* continens 1. *obedientiam Josuæ*: 2. *Obedientiam populi*. *Josua* explevit mandatum DEI præscribendo, qvid singulis cohortibus faciendum incumbat. 1. qvid sacerdotibus v. 6. 2. qvid armatis v. 7. 3. qvid reliqvo populo faciendum sit v. 9. Deinde præcepta Josuæ omnes sedulò facessunt, tam prioribus 6. diebus v. 11. qvam septimo usqve ad v. 15.

v. 10. *Neq; ullus sermo ex ore vestro egredietur*) Non obligantur Israëlitæ ad silentium aliqvod inter se, sed interdicuntur illis contumeliæ & vitia, ne hostes de muro prospicientes ante septimum diem protervo animo inclament.

v. 16. *cumq; septimo circuitu clangerent*) *Qvinqve* sunt, qvæ Josua à populô vult fieri I. ut vociferentur signum scil. victoriæ, qvod Deus urbem ipse tradidisset. v. 6. II. Ut anathematizent omnia v. 17. III. Ut Rahabem cum tota familia incolumitatis privilegio donent IV. ne anathemate se qvisqvã polluat sub anathematis talione. v. 18. V. Ut au-

rum, argentum, ferrum & vasa ænea thesauris sacris adjungant v. 20.

v. 20. *Igitur omni populo vociferante.*) Hæc est *tertia pars* de mandatorum & promissionum divinarum effectu: Continet I. *spontaneam murorum ruinam & occupationem civitatis* v. 20. II. *πανολεθρίαν civium* v. 21. III. *Rahabis conservationem.* v. 22. IV. *Imprecationem Josuæ. Finis* hujus miraculosæ historiæ conclusionis loco affertur *duplex*: 1. *respectu DEI.* Voluit *DEUS* hoc facto contestari, se Josuæ populi sui Duci adesse, eosq; conatus & consilia prosperare. 2. *Respectu* verò *gentium* finis est celebritas nominis Josuæ & famæ suæ disseminatio per universam terram. v. 27.

v. 26. *Sitq; civitas hæc anathema.*) Anathematizatæ sunt urbes impiarum gentium non eodem modo sed pro libera voluntate DEI; aliàs interfectis incolis & combustis cum universa supellectili ædificiis omnibus loca ad æternam solitudinem destinata sunt, sicut legimus Devt. XIII, 15. Aliàs qvædam sibi DEus ad sacros usus reservavit, ut hôc in locô, aurum argentum, ferrum & vasa ænea qvæ per ignem emundari poterant. Vide Num. XXI, 22.

In primogenito suo fundamenta illius jaciat.) *Imprecatio* hæc completa est tempore regis *Achab.* Nam *Hiel de Bethel* reparaturus destructam Hiericho, jacturam fecit primogeniti sui, cum fundamentum poneret, & novissimi sui filii, cùm portas erigeret. 3. Reg. XVI, 34. Lo-

LOCI THEOLOGICI.

I. De inani mundi conatu adversus præpotentem DEUM, ex v. 1.

Cives Hierichuntis probè claudunt & muniunt portas urbis: nec tamen eas valent cbfirmare, ut, cum nulli hominnm ingredi vel egredi liceat, etiam DEI potentiam inhibere & infringere possint. DEO enim qvàm facillima factu res est vel portas reserare, vel mœnia uno verbo destruere. Qvod si ita est, neqvicqvam proderit ea fiducia, qvam stulti homines non in DEI custodia & defensione, sed in terrenis propugnaculis ponunt. Sicuti *Nebucadnezar* ante victoriam qvasi triumphans exclamat Dan. IV, 27. *Nonnè hæc est Babylon civitas magna, qvam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ.* Hoc peccatum etiam graviter taxat *Oseas* in populo DEI, gravissimam addens comminationem: *Obliviscitur Israël factoris sui*, inqvit, *& ædificat delubra, & Juda multiplicat urbes munitas. Ego autem mittam ignem in civitates ejus & devorabit is palatia illius*, Oseæ VIII, 4. Contra munitissimæ urbes sunt illæ, qvæ verbi divini studio & vero DEI cultu, veluti vallo inexpugnabili, conclusæ sunt; nam fortissima turris nomen Domini.

II. De certitudine divinarum promissionum, ex vers. 2.

De futuris rebus loqvitur DEus haud aliter ac de præteritis: Ecce dedi in manus tuas Hiericho & regem

ejus omnesq; viros fortes. Huic verbo, qvod Josue libenter credit, & ad expugnationem cum universo exercitu instructus accedit, magnum & admirabile fidei exemplum est. Et ubi hæc duo, DEI promissio & fides nostra promissioni credens concurrunt, nihil non præclari & eximii tam in Ecclesia qvam in Rep. Christiana effici solet. Ac propter eam certitudinem debemus promissionibus divinis, qvæ rebus futuri temporis constant, non minus fidem adhibere, ac si DEus de præteritis locutus fuisset: Ut cum DEus dicit: *Invocame, & eripiam te*, perinde est ac eripui te, qvia in promissionibus suis planè est immutabilis.

III. De παντοκρατορία & universali Dominio DEI.

Potestati divinæ omnia subjecta sunt. Nam qvod qvis alteri dat, id in sua manu habeat necesse est: sed DEus dat, qvibus, vult urbes & reges. Ergo habeat eos in sua manu necesse est. Qvi igitur aliis præsunt, ἀυτεξούσιοι (i. e. qvi sunt liberæ suæ potestatis) se minimè putent, & ἀυτοκρατορικαῖς ὁρμαῖς minimè ferantur sed sciant, se esse in manu DEI, cui præstare facile est, ut; qvi jam aliis imperant, mox aliorum imperio obtemperent. Transfert sanè DEus regnum Israël à Saule ad Davidem 1. Reg. XVI, 13. 1. Par. X, 14. à filio Salomone aufert 10. tribus, & committit Jeroboamo. 3. Reg. XI, 11. Atq; hoc est, qvod *Jobus* dicit c. XII, 18. *Baltheum regum dissolvit DEus, & præcinxit fune renes eorum.* Dan. II, 21. *DEus mutat tempora & ætates, transfert regna atq; constituit.* Item Dan. IV, 14. Et Ecclesiastæ

siastæ IV, 14. *De carcere egredietur aliqvis ad regnum: alius in regno natus inopia consumitur.* Ac propterea DEum semper plus metuamus, qvam homines, qvantumvis potentes. Ipso enim resistente nemo nobis qvicqvam inferre poterit.

IV. De μακροθυμία *& patientia DEI.*
ex v. 3. 11. & 14.

Etsi DEus *Hierichunticos* vel uno fulminis ictu sive primo tubarum sono prosternere potuisset: tamen justam vindictam ita moderatur, ut ad pœnitentiam ipsis 7. dierum intervalla indulgeat. Verum dum nihil proficit, sed potiùs incolas licentia deteriores fieri cernit, compensat tandem tarditatem supplicii gravitate pœnæ. Qvare cum nos qvoq; divinam ultionem jam abesse sentimus, utamur ea patientia ad seriam vitæ emendationem. *Nam DEus patienter agit propter nos, nolens aliqvos perire.* 2. Pet. III, 9.

V. De vilitate organorum DEI,
ex v. 5. & 16.

Adhibet DEus plerumq; ad miracula sua ejusmodi *media*, qvæ omnium judicio sunt contemtissima. Qvid enim vilius cogitari potest & ad demolienda mœnia infirmius, sonô tubæ & vociferationis hominum? Nam urbes optimè munitæ & circumvallatæ non expugnantur clamore & sono, sed bombardis æneis, arietibus, scalis, & aliis machinis bellicis. Verum horum instrumentorum nulli major vis inest, qvàm verbo DEI, qvo sacerdotes isti tubas istas ad diruendos muros armarunt. Hac de causa, non tam ad

media ipsa qvàm ad divini mandati vigorem attendendum est in omnibus operibus DEI. *Moses* in miraculis edendis pastorali baculo utitur: *Elisæus* ad curandam lepram Naemanis adhibet aqvæ Jordaninæ lavacrum 4. Reg. V, 14. *Christus* usurpat in baptismo aqvam, in Cœna porrigit buccellam panis & haustulum vini, & tamen, mediante verbi virtute, Sacramentis illis non urbis alicujus mœnia, sed universum Satanæ regnum, destructis portis infernalibus, pro consolatione piorum evertit & extirpat.

VI. De fidei efficacia
ex v. 5. & 6.

Ridicula sanè res videtur & rationi humanæ planè absurda, qvod DEus mœnia Hierichuntica ad solum tubarum sonum & populi vociferationem collapsura prædicit, qvæ aliàs fortè ne robustissimorum qvidem instrumentorum adminiculo prosterni ac dirui potuissent: tamen vincit Josue constanti fide omnia carnalis sensus ἀνθυπόστασις, adscribens virtutem & efficaciam non humanæ potentiæ, sed verbo DEI. Ideo meminit Epistola ad Hebræos cap. XI, 30. inter alia fidei miracula etiam ruinæ murorum Hiericho, qvam fidei imputat his verbis: *Fide muri Hiericho corruerunt circuitu dierum 7.* Talem fidei παῤῥησίαν omnes imitari decet, qvi ex hac terrena militia optatam victoriam reportare cupiunt. Nam ut Johannes Epistola I. cap. V, 4. ait: *hæc est victoria, qvæ mundum vincit, fides nostra.*

VII. De

VII. De expectatione auxilii divini ex verſ. 10.

Ante ſeptimum diem DEUS nullum vult clamorem, vocem aut ſtrepitum audiri. Qvo ſilentio commendati ipſis patientiam & tolerantiam, ne ultionis partes DEo præripiant, ſed opportuno tempore victoriam divinitus expectent. Nam ſpes & patientia plus momenti habent ad victoriam, qvam furor & arma juxta illud Eſaiæ XXX, 15. *Si revertimini & expectamini, ſalvi eritis; in ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.* Qvare conſultum non eſt, ut militiæ imperatores ad bella ſtatim armata manu prævolent, ſed potius intenti ſint, qva commoditate hoſtem adoriri, ejusq; vires infringere poſſint.

VIII. De obſervatione Sabbathi ex verſ. 15.

Si ſeptimus dies, qvod probabile eſt, fuit Sabbatho ſacer; apparet hinc, ſabbathi obſervationem non pugnaſſe adeò cum omnibus operibus & ſtudiis hominum qvin interdum vel DEI juſſu vel neceſſitate, vel dilectione proximi poſtulante aliqvid, ſine ejusdem violatione & profanatione tunc peragi potuerint. Prohibuerat qvidem Deus omne opus in die Sabbathi Exod. XX, 10. etiam ſub pœna mortis Exod. XXI, 24. & XXXV, 3. tamen diſpenſavit interdum DEus pro ſuo arbitratu, ne obſervatione illius nimium rigidâ homines ſalutem æternam ſe conſecuturos errore qvodam mentis ſtatuerent: propterea Chriſtus nulla improbat opera, qvæ cultum DEI non remorantur,

ſed

sed ejus potius effectum promovet. Vide disputationem Christi de verâ Sabbathi sanctificatione, Matth. XII. Marc. III. Luc. VI. 6. & 14.

IX. *De anathemate*
ex vers. 17.

חֵרֶם significat *talem excommunicationem, qvæ qvid à communi usu & contrectatione cum imprecatione separatur*, ut apparet ex hoc interdicto, Lev. XXVII, 28. *Omne, qvod DEo consecratur*, (ἀνάθεμα) *sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non veniet* (i. e. venundabitur) *nec redimi poterit. Qvicqvid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, & omnis consecratio, qvæ offertur ab homine* (i. e. omne anathema, qvod de homine fit) *non redimetur, sed morte morietur. Exempla* hujus anathematis reperiuntur in hoc capite, ubi nulli civi Hierichuntico vitâ donari potuit, exceptis cognatis Rahabis, qvi per juramenti religionem ab excommunicationis fulmine liberati sunt.

X. *De severitate divinæ ultionis*
ex vers. 21.

Qvod jussu DEI incolæ Hierichuntis universi, mares & fœminæ, senes & infantes cum omni armento & grege gladio delentur, id singulare est divinæ justitiæ & vindictæ exemplum, qvod nostro seculo nemini imitari licet, qvi tyrannidis voculam effugere velit, propterea qvod destituatur speciali DEI mandato. Qvin potius nulla major est victoris laus, qvàm *parcere subjectis, & debellare superbos.* Non sunt *præstantiores triumphi*, qvàm qvos devicta & edomita ani-

animorum ferocia ducimus: non sunt insignioratropæa, qvam qvæ clementiæ testificatione de nobis ipsis erigimus. Verùm, qvod DEus istam urbem tanta severitate evertit, causa ejus rei prima est, incolarum extrema malitia & improbitas: Fuerunt enim abominandis moribus imbuti Lev. XVIII, 27. adorârunt vitulos & statuas Num. XXXIII, 52. dederunt operam incantationibus & præstigiis Diabolicis, à nullo scelere alieni, Lev. XXI, 23. qvemadmodum DEus ipse tam horrendi exitii causam innuit Lev. XX, 23. *Nolite ambulare in legitimis nationum, qvas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eos,*

XI. De tempestiva amicorum conciliatione, ex vers. 17. & 22.

Si *Rahab* occasionem de exploratoribus Israëlitarum benè merendi & amicitiæ fœdus cum eis contrahendi neglexisset, nunqvam ex Hierichuntico excidio vitæ spolium reportasset. Qvippe hic est fructus maturæ amicitiæ & occasionis benè usurpatæ, ut suo tempore amplissima inde commoda auferamus. Atqve huc spectat Christi admonitio Luc. XVI, 9. *Facite vobis amicos de mammona iniqvitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Maximè verò maturas cogitationes de favore DEI per seriam pœnitentiam nobis conciliando suscipiamus, ne cunctatio tandem nobis fraudi sit, ut fatuis virginibus Matth. XXV.

Landesbibliothek Oldenburg

XII. DE AMPLISSIMO MUNIFICENTIÆ & φιλοξενίας fructu ex verſ. 23.

Sicuti improborum pœnas ſæpè alii luere coguntur, etiam loca & pecora: cujus calamitatis & qvidem univerſalis eluvionis exemplum in hoc hierichuntico excidio ſpectare licet ſanè triſtiſſimum: ita *beneficentiæ ſtudium*, inſtar felicis ſcaturiginis uberrimè exundat & fructus ampliſſimos etiam in alios diffundit. Nam qvòd parentes *Rahabis*, fratres & tota familia ſalva evadit, id hoſpitalitati unius fœminæ acceptum feratur, qvam ipſa exploratoribus declaraverat. Qvare benefaciendum eſt omnibus liberali animo, non tantum ut nobis benè ſit, ſed etiam ut proximo inſerviamus. Et hoc loco pullulat tanqvam ex ramuſculo hæc doctrina, qvod *DEus ſoleat propter unam animam ſibi charam toti familiæ, qvin imò nonnunqvam toti urbi benefacere.* Sic propter Rahabem conſervatur tota familia: propter Jacobum Patriarcham benedicit DEus gregi Laban Gen. XXXI, 38. Propter Joſephum domui Potipharis & univerſo regno Ægyptio Gen. XXXIX, 5. XLI. & paſſim.

XIII. De fide ſervanda ex verſ. 22.

Fides præſertim juramento confirmata *ſemper ſervanda eſt* tam amicis qvàm hoſtibus, tam belli qvàm pacis tempore. Potuiſſet ſanè Joſua prætendere: Qvid ad me, qvod exploratores Rahabi vitam promiſerunt, fecerunt id me inſcio & invito: Obſtat etiam huic confœderationi expreſſum DEI verbum Devt. VII, 2.

VII, 2. *Non inibis cum eis* (gentibus) *fœdus, nec misereberis earum.* Et Exod 34, 12. *Cave, ne unqvam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, ne sint tibi in ruinã* Item Devt. XX, 16. *De his civitatibus, qvæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere.* Verum hæc interdicta interpretatur Josua paulò mitius, ita, ut intelligat DEum de contumacibus loqvi, non de supplicibus. Qvin imò jubet DEus his parcere, Devt. XX, 10. *Si qvando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qvi in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo.* Hæc & alia, dum secum perpendit Josua, fidem Cananææ datam omninò servari cupit.

XIV. De maledictione sive execratione piorum ex vers. 26.

Est & hoc singulare & planè heroicum facinus ex magno zelo & Spiritu tanti Imperatoris profectum, qvod suo tempore non caruit effectu, cum *Hiel Bethelanus* maledicti loci restaurationem moliretur. 3. Reg. XVI, 34. Sic *Noë* maledixit filio suo *Cham*, ejusq; posteris Gen IX, 25. qvi post 400. circiter annos execrationis vim perceperunt. *Elisæus* maledicit 42. pueris irrisoribus, & hi ilico ab ursis dilacerantur. 4. Reg. II, 24. Qvare cavendum est, ne virorum singulari sanctitatis zelo flagrantium sinistra vota in nos provocemus, qvorum eventus non solet esse irritus. At nos propter judicii infirmitatem talem maledicendi licentiam nobis minimè sumamus, sed potius devoventibus nos bona precemur, ut obtemperantes mandato Christi Luc. VI. *Benedicite maledicentibus vobis*, Et Pauli Rom. XII, 14. *Benedicite persequentibus*

vos. Hoc enim & *Christus* ipse observavit 1. Pet. II, 16. Distingvendum tamen est inter hostes DEI. De aliqvibus spes est conversionis, de aliqvibus non est. Hujus diversitatis judicium petendum erit *ex fine*; qvos in peccatis perseverare cernimus, eis licet pessima imprecari cum Davide Ps. LXVIII, 25. *Effunde super eos iram tuam*: It. v. 29. *Deleantur de libro viventium*. Pro cæteris, qvi ex infirmitate peccant & spem emendationis aliqvam relinqvunt, orandum est, ut DEUS ipsos ad frugem reducat. Præterea qvemadmodum execrationis piorum aculeos post relinqvunt; ita temeraria maledicta, qvorum impii non habent causam, eventum omnem frustrantur. Ut cum PONTIFEX ROMANUS anathemate suo stramineo furiis nos infernalibus excruciandos devovet, perinde nos terret ac fulgure ex pelvi emisso. Nam benedictio DEI longè efficacior, qvàm ut antichristi amarulentiá extingvi possit. Sic enim David dicit 1. Par. XVII, 27: *Te, Domine, benedicente, benedicta erit domus servi tui in perpetuum*. Et Salomon. Prov. XXVI, 2. *Sicut avis movetur, & hirundo prætervolat, sic maledictum immeritum non feriet*.

LOCI ALLEGORICI.

PONTIFICII petunt ex hoc capitæ *allegoricam probationem abominandæ Idololatriæ* de circumgestatione S. Eucharistiæ reliqvarum & aliorum sacrorum, qvæ peraguntur cum canticis & tubis sine petulantia & clamore præmissis vexillis & crucibus, seqventibus clericis & reliqvis laicis &c. Sed sciendum est, nullam alle-

allegoriam sufficere ad propugnandum DEI cultum, cujus ratio niti debet expresso DEI mandato, sine qvo Josua hic nihil tentat: At PONTIFICII propriis cerebri suis somniis & deliriis fruuntur. Qvare missis hisce plusqvam Siculis gerris eas exosculabimur allegorias, qvæ rebus scripturæ autoritati superstructis non adversantur.

I.

I. *Hiericho est typus mundi*, cujus rex, princeps sive DEus est Satanas Joh. XIV, 30. & 2. Cor. IV, 4. Comparatur autem Hierichunti mundus 1. *ratione externæ felicitatis*. Ut enim Hiericho opulentum & amœnum oppidum fuit, qvemadmodum etiam nomen accepisse putatur à רוַח i. e. *spiravit* sive ריח i. e. *odoratus* est ob fragrantias Balsami & aliorum aromatum: Ita *mundus* scatet omnibus deliciis & illecebris carnis, affluit omni bonorum terrenorum genere, honore, divitiis, potentia & similibus. *Nam impii florent sicut gramen, & vernant omnes, qvi operantur iniqvitatem* Ps. XCI, 8.

II. *Ratione munitionis*. Ut Hiericho benè munitur & clauditur. Ita stabilit Diabolus regnum suum magna potentia, falsa doctrina, fucata sanctitate, simulata concordia, fictitiis miraculis, qvibus simpliciores veluti hamo capiuntur.

III. *Ratione expugnationis*. Ut Hierichuntem occupat Josua: ita Christus mundum pedibus suis substernit tanqvam omnipotens ejus victor, Joh. XVI, 31. destruendo regnum Satanæ 1 Joh. III, 8. *spoliando prin-*

cipatus, potestates palàm ostentando & de illis triumphando per semetipsum. Col. II, 15.

II.

Sacerdotes adumbrant D. Apostolos, omnesqve sinceros doctores. Et qvidem 1. *propter urbis circuitionem.* Ut enim illi diebus singulis urbem circumeunt usq; ad septimum, qvô muri corruunt: Ita mittiit *Christus* Ecclesiæ suæ semper fideles Doctores usqve ad extremum diem sive mundi finem: Nam perpetuò erit efficax illud: Ite in mundum universum. 2. *propter tubarum clangorem.* Qvemadmodum Sacerdotes solo tubarum sono, conclamante tandem populo dejiciunt muros Hierichunticos: ita ministri sacri verbo, non vi corporali vel armis carnalibus demoliri debent structuram Satanæ, & esse sonantes tubas in cœtu Domini juxta illud Es. LVIII, 1. *Clama, necesses, qvasi tuba exalta vocem tuam.* Nam *arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia DEO ad destructionem munitionum, consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam DEI &c.* 2. Cor. X, 4. Populus verò piis precibus & vociferationibus secundet & adjuvet docentium studia ac labores Hebr. XIII, 18. Fortiores sive armati præeunto suscipientes verbi divini & fidelium magistrorum patrocinium. 3. *propter indefessum laborem.* Ut enim sacerdotes Josuæ nihil moventur, qvod ad unius ac alterius diei clangorem parum perficitur, sed instant acrius usq; ad septimum diem: Ita de labore ac solicitudine minister verbi nihil remittat, etiamsi aliqvandiu actum egisse sibi videatur. Fieri enim potest, ut sera DEI benedictio

omnes

omnes devoratas molestias uberrimè compenset: sicuti Petrus nocturni laboris præmium ingentem piscium copiam nanciscitur: Luc. V, 6. *Qvare simus* ἑδραῖοι καὶ ἀμετακίνητοι *i. e. stabiles & immobiles abundantes in omni opere Domini semper, scientes, qvod labor noster non est inanis in Domino.* 1. Cor. XV, 58. 4. *propter potentem verbi effectum:* Ut Sacerdotes hi sono tubarum destruunt gentilis oppidi muros: ita fideles concionatores sunt DEI organa, qvibus portæ inferorum infringuntur & omnis insultantis mundi ferocia compescitur. Sic enim DEus consolatur *Jeremiam.* c. I, 10. *Ecce dedi verba mea in ore tuo: Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas ac destruas & dissipes ac disperdas.* Talis destructor fuit nostro seculo *Lutherus*, qvi Hierichuntem illam Romanam armis & præsidiis humanis firmissimè munitam divini spiritus flatu ita expugnavit, ut in restaurandis ejus muris grex Jesuitarum frustra desudet.

III.

Miseranda Hierichunticorum civium clades adumbrat severitatem extremi judicii, ubi omnes impœnitentes à viro usq; ad mulierem, ab infante usq; ad senem æternis ignibus addicentur, ut sint *anathema, sive abominatio omni carni.* Es. LXVI. Imo qvemadmodum ad sonum tubarum muri *die septimo* corruunt: ita putant multi, hanc mundi machinam sex millenaria duratura, *septimo verò missurum* Dominum Archangelum cum tuba, ad cujus sonum mortui resuscitabuntur, cœli transibunt, terra cum omnibus operibus exuretur 1. Thes. IV, 16. 1. Cor. XV, 52. 2. Pet. III, 10.

IV. *Ra-*

IV.

Rahab est typus Ecclesiæ ex gentibus collectæ. 1. *propter impuram conversationem.* Ut enim illa ab initio ex publico meretricio qvæstum facit. Ita gentes omnes fornicantur ante conversationem cum *idolis, ambulantes in desideriis carnis suæ & in vanitate sensus sui, semetipsos tradentes impudicitiæ in operationem omnis immundiciei.* Ephes. II. & IV. 2. *propter salutarem conversionem.* Ut *Rahab* exploratores Israëlitarum recipit & eundem cum ipsis DEum confitetur, abnegatis patriis idolis: ita ex gentibus electi audiunt legatos Christi, haurientes ex verbo prædicato salvificam fidem, qvam honestis vitæ studiis postea contestantur. 3. *propter vitæ liberationem.* Ut Rahab sola cum omnibus, qvos sangvinis & spiritus vinculo conjunctissimos habebat, incolumis evadit: Ita gentibus omnibus destinata qvidem sunt æternæ mortis supplicia: Verum perditionem effugient illi, qvi ad frugem pervenerunt, & unanimi fidei confessione se veræ Ecclesiæ addixerunt.

LOCI POLITICI.

I. Felici militiæ imperatori ad conseqvendam victoriam opus est primò religiosa fides, cujus specimen egregium extat in Josua, qvi non nisi fidei armis pugnat. *D. Ambrosius* lib. 1. de fide ad *Gratianum Augustum* ita scribit: *Nosti, fide magis imperatoris, qvàm virtute militum qværi solere victoriam. Josue filius Nave hostes, qvos totius exercitus manu valida superare non poterat, 7. tubarum sacerdotalium sono vicit, ubi ducem mi-*

militiæ cœlestis agnovit. Ergo & tu vincere paras, qvi Christum adoras, qvi fidem vindicas. Hactenus *Ambrosius.* Hoc qvi pacto ad prælia instructi veniunt, feliciter pugnabunt: qvia DEum σύμμαχον habent, qvi non nisi fidei qvasi manu tenetur: Nam *penes Dominum victoria.* Prov. XXXI, 31. *Eqvus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem sive victoriam tribuit.* De *Paulo Æmilio* notat *Plutarchus,* qvod à DEO petierit *victoriam, eumq; nactus sit* σύμμαχον δόρυ κρατῶν καὶ μαχόμενον i. e. *hastam tenens & pugnans.* Tanta fuit prudentia in sanioribus Ethnicis, ut victoriam divino auxilio impetrandam censerent; qvantò id Christiani magis credere debent.

II. Felici imperatori opus est sacro ministerio, ut habeat secum, qvi verbo divino, veluti tuba clangente, milites ad prælia excitent, eosq; ab omni vitæ turpitudine, immanitate, rapinis, ebrietate aliisqve vitiis dehortentur: Qvod si neglectum fuit, desperatum est de palma. Apparet qvoq; hinc, instrumentorum Musicorum magnum esse usum in bello, ut pote qvibus homines & eqvi ad alacritatem excitantur.

III. Felici Imperatori bellico ad impetrandam victoriam opus est obedientia & observantia militum. Ut enim in hoc exercitu *Josuæ* qvilibet tenet suam stationem, unde rectà in urbem prosilit, & præstat se duci morigerum, jam tacendo, jam vociferando: alii præcedunt, cæteri seqvuntur: ita in unoqvoq; exercitu habenda est ratio boni ordinis, ut unusqvisq; sciat, qvid rerum sibi agendum sit, ne confuso ordine unà officia confundantur; qvod si fit, actum est de victoria.

Landesbibliothek Oldenburg

LOCUS POLITICUS.

Felicis *imperatoris* post partam victoriam *officia, sive virtutes* colliguntur ex textu qvatuor. I. *Beneficentia in cultum DEI & sacr. ministerium.* Ut enim Josue post expugnationem Jerichunticam spolii partem non mediocrem, cujusmodi vasa aurea, argentea, ænea, usui sacro destinat: ita bona hostibus vi excussa non sunt luxu & delitiis perdenda: sed partem victor, partem milites, partem verò primariam ministerium divinum capiat. Qvam liberales gentium victores in distribuendis spoliis fuerint, ex historiis manifestum est. Scribit *Plutarchus, opimorum spoliorum* πρῶτα ληφθέντα *sive prima accepta, consecrata fuisse Jovi Feretrio: Marti altera: tertia Qvirino.* Tempore Triumphi, qvem M. *Marcellus de Gallis* tulit, miserunt *Romani Apollini Delphico* crateram auream centum pondo, gratiæ referendæ causa: partem magnam prædæ donârunt sociis civitatibus: multa ad regem Syracusarum amicum & socium *Hieronem* detulerunt. Vide *Plutarchum in vita Marcelli* fol. 302.

II. Est *abstinentia*, ut victor possit avaritiæ frena injicere, sibiqve à præda accepta temperare, sicuti Josue noster universos Hierichuntis thesauros facili animo aspernatur. Auget hæc virtus mirificè Ducis autoritatem, cui virtutis honor est satis magnum rerum gestarum præmium. *Themistocles* ille τῆς δεξιότητος πολιτικῆς καὶ στρατηγίας συνέσεως *i. e. scientiæ politicæ & negociosæ prudentiæ studiosissimus*, cum aliqvando cadavera in littore posita inspiceret exornata armillis aureis & torqvibus, ipse præteriit, comiti verò ami-

co ostendit ea & dixit: ἀνελὲ σαυτῷ i. e. tolle tibi hæc. Non enim tu Themistocles es; significaturus, indignum esse victore egregium facinus, unde consequendarum opum causa is videri possit bella gessisse. *Plutarchus in vitâ Themistoclis* fol. 120.

III. Tertia *est clementia erga supplices* & inprimis fidei consortes. *Josue* parcit Rahabi, ejusque familiæ, quæ se ejusdem religionis confessione Ecclesiæ Israëliticæ addixerat: ita victor nullus ob res ad nutum fluentes insolescat, sævitiam exercens in eos, qui vel eandem nobiscum amplectuntur religionem, vel ad victoris pedes supplices se provolvunt. Magnæ laudi vertitur *Augusto Cæsari*, qui cum Alexandria pertinacissimè rebellante potitus esset, & cives extrema fata metuerent, conscendit ipse suggestum, adjuncto sibi *Ario cive Alexandriæ* & dixit: *se civitati parcere* 1. *ob ejus magnitudinem & pulchritudinem*. 2. *propter Alexandrum Magnum ejusdem conditorem, cujus memoriam sciebat Alexandrinis jucundissimam*. 3. *in gratiam Arii amici*. *Plutarchus in Apophtheg.* Hanc clementiam imitari debent multo magis ii, qui heroicas virtutes eum fide Christianâ conjunxerunt, ne gentem bello subactam furore effreni trucident.

IV. Virtus est *in servandis conventionibus constantia*. Etsi enim totius urbis salus in manu Josuæ versabatur, tamen obsidem datam jubet ille Rahabem educere incolumem, ne violatione sacri juramenti divinam ultionem in exercitum provocet.

Landesbibliothek Oldenburg

CAPUT SEPTIMUM.

Summa Capitis.

IN hoc capite describitur *infelix* κ᾽ πολέμησις sive *oppugnatio urbis Hai*, in qva nonnulli Israëlitarum cæduntur, cæteri in turpem fugam convertuntur. Hâc clade offensus *Josue* cum universo populo in ancipites cogitationes de promisso auxilio & præsidio DEI abripitur. Sed transfert DEus causam â se in populi prævaricationem ob sacrilegium *Achanis* furto Babylonici pallii commissum: Hunc postqvam populus jactæ sortis adminiculo exploravit, cum tota familia & supellectili lapidibus & flammis eum è medio sustulit, acervo lapidum in tanti sceleris memoriam erecto.

Ἀνάλυσις λογικὴ καὶ ῥητορικὴ.

Partes capitis primariæ duæ sunt I. est πολεμικὴ continens *infelicem oppugnationem* urbis Hai & inde conseqventem luctum & qverelam populi usq; ad v. 10. II. Pars est δικανικὴ, continens *actum judicialem de Achanis sacrilegio.*

SINGULARUM PARTIUM SUBDIVISIO.

Primæ partis ἀνάλυσις.

In